



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. In quo consistit regnu[m] Christi, & qui sint in illo.


urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

vt tuus sit Christus, eiusque passio, meritum, opéra, ac si tu ipse hæc fecisses, quæ Christus pro te fecit: vt eius passio sit tua, ac si tu passus fuisses. Sic eius sapientia, iustitia, redemptio, &c. Esaiæ 9. Puer nobis natus est, filius datus est nobis. Rom. 8. Qui dedit nobis Filium, quomodo non omnia cum Filio? Ioan. 3. Vt vnigenitum suum daret, &c. Si nobis datus est, ergo noster: ergo & nostra sapientia, iustitia, redemptio. Hæc fides te Christianum facit, & liberat à peccato, morte & inferno: hæc fides dicitur iustitia, Rom. 4. Quandò ergo nunc sic Christum pro fundamento & capitali bono salutis nostræ habemus & apprehendimus, tunc sequitur alterum: nempe, vt Christum pro exemplo apprehendamus & imitemur, vt sicut ipse nobis benefecit, sic nos proximo nostro: Ipse fuit iustus, obediens, patiens, sanctus, diligens, non maledicens, &c. sic eum imitemur. 1. Petri 2. Christus pro nobis passus est, vobis relinquens exemplum, &c. Et 1. Corint. 11. Imitatores mei estote. Prima apprehensio Christi per fidem, acquirit nobis essentielle bonum, id est, remissionem peccatorum & vitam in Christo: altera, accidentale, hinc & in futuro, id est, specialia præmia. Sicut enim stella differt à stella, &c.

1. Cor. 15.

CAP. XXVIII

ARGUMENTA.

1. *In quo consistit regnum Christi, et qui sint in illo.*
 2. *Quid sit regnum Sathana, & qui sint in illo.*
 3. *Quomodo non nocebit credentibus, etiamsi adhuc sentiunt regnum Sathana in motibus animi & corporis.*
1.  Hristus coram Pilato dixit Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo, id est, non est carnale aut temporale: ergo sequitur quòd est spirituale. Est igitur Christi

Christi regnum spirituale, quo Christus corda regit hominum, quibus inferit fidem, dilectionem, timorem, sapientiam, humilitatem, spem, &c. & id genus fructus Spiritus sancti, Galat. 5. In hoc regno Christus Rex est & p̄sident, atq; h̄c influit in corda: de quo regno locuti sunt etiam Prophetæ, Psal. 71. Orietur in diebus eius iustitia & abundātia pacis. Et Dan. 7. Regnum eius non corrumpetur, quia est perpetuum. Et Lucæ 1. inquit Angelus: Et regni eius non erit finis. Aeternaliter igitur reget electos suos. Nō ergō Christi regnum carnale est, sicut putārūt Iudæi, & duo discipuli euntes in Emaus, Lucæ vlti. & discipuli Acto. 1. & Matth. 20. Perpetuū igitur est Christi regnum, nō mutabile, sicut sunt traditiones, cęremoniæ, &c. sed est perpetua dilectio, iustitia, pax, &c. Nec est Christi regnum externa quędam administratio, sicut in cęremonijs, ac ciborum, vestimentorum, statutorum differentijs, &c. sed internus cultus, sicut inquit ipse Lucæ 17. Regnum Dei non venit cum obseruatione, sed intra vos est, scilicet in corde, vbi est fides, timor, dilectio, spes, &c. Et Rom. 14. Regnum Dei non est cibus aut potus, sed intūs: iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto: hoc etiam regnum petimus quotidie aduenire nobis & augmentari, Matth. 6. In hoc ergō Christi regno sunt, quotquot credunt & acceperunt Spiritum sanctum in Baptismo, qui suos in illis operatur fructus, Galat. 5. & renouat cor, expellit sathanam cum vitijs suis, mortificat corpus, & inflammat ad ferenda & facienda omnia, quę Deus exigit. Et Apostolus Colossen. 1. iubet omnes tales gratias agere Deo patri, quòd nos eripuerit de potestate tenebrarum. Nā natura nostra id ex se non potuit, & transfudit in regnum Filij dilectionis suę, in quo habemus pacem, redemptionem à sathana, & remissionem à peccatis. Quotquot ergō abstinent à vitijs & in pœnitentia sunt, ad firmam fidem, timorem, dilectionē, patientiam.

patien-

patientiam, castitatem, &c. tenent, omnes illi sunt in regno Christi spirituali. Et hoc quidem regnum ornatur & retinetur benè cæremonijs, regulis, statutis, &c. sed hæc non sunt regnum Christi: consistit ergò in corde hoc regnum: attamen foris cernitur vbi sit, à fructibus iustitiæ, &c.

Regnum sathanæ est, vbi non est fides Christi, vbi nondùm cor renouatum est Spiritu sancto: & ex illo regno nascuntur, quotquot ex prima natiuitate sunt & tam diu manent omnes filij Adam, donec liberentur per Christum. Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Liberat enim quotquot in illum credunt. Ioan. 1. Dedit potestatem filios Dei fieri, &c. In illo igitur regno est aliud nihil nisi mendacium, homicidium, blasphemia, superbia, auaritia, &c. tota lerna vitiorum, vbi sathan rex trahit corda ad placitum, vt sua desideria perficiant, sicut Christus obiecit Iudæis, Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis, &c. Et ideò Apostolus nominat diabolum deum huius seculi, qui excæcat corda fidelium, 2. Corinth. 4. In hoc ergò sathanæ regno sunt, quotquot obtemperant carnalibus desiderijs & operibus carnis, Galat. 5. Et de illis dicit Apostolus 1. Corinth. 15. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et homines istius regni solùm quærunt opes, honores, voluptates atque carnalia: ideò directè opponuntur regnum Christi & regnum Sathanæ. Multò enim latius est regnum Sathanæ, quàm Christi: quia omne quod est in mundo, inquit Ioannes, 1. Ioan. 2. aut est superbia, vel luxuria, vel auaritia, &c. & nullus de tali regno introibit in regnum cælorum, eò quòd diabolus nihil habet in Christo. A tali ergò regno liberamur, & in Christi regnum collocamur, quandò Christum credimus nostrum Dominum & saluatorem, Rom. 10. Propter quem gratuitè condonantur peccata, & iustificamur Rom. 3. de quo iubet Apostolus gratias agere.